

speculum sine macula, male loqui sinistramque conceptum ingerere ausit; de quibus dici potest: *Posuerunt in celum os suum*. Ille quoque benedictus aures, que in celo ab angelicis hierarchiis, per continuas acclamationes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, honorantur; nunc quoque improprium illud audire cogatur: *Dæmonium habes. Quidam enim dicebant, quia bonus est, alii dicebant non.*

3. — Omnes equidem uno ore dicere debuissent, quia bonus est; siquidem a Spiritu Sancto dictata veritas est, *Psal. LXXII, 1: Quam bonus Israel Deus*. Tametsi advertendum quoque sit, quod profinus subditur: *His, qui recto sunt corde*; unde convincitur, illos, qui hanc veritatem negabant, vel saltem in dubium vocabant, nequaquam rectos corde, sed perversos et malignos extitisse. Jeremias quoque de bonitate Dei testimonium perhibet, dicens, *Thren., III, 25: Bonus est Dominus*. Sed quibus putas bonus est? *Sperantibus in eum, animam quaerenti illum.*

4. — Chrysostomus, *Hom. XLVIII*, illos, qui bonum de Salvatore conceptum habebant, deque illo honorifice loquebantur, plebeios fuisse existimat; hi namque erant, qui ut plurimum lateri ipsius adhaerebant, dicit enim: « Nam puto multitudinis opinionem hanc, non Principum et Sacerdotum fuisse; illud enim verbum: *Non, sed seducit turbas*, hoc indicat. » Idem quoque Lyranus testatur, dicens: « Ex hoc, quod isti malignantes dicebant turbas esse seductas ab eo, patet quod major pars secundum numerum dicebat contrarium; » adeoque multitudo populi ipsum tanquam Christum veneratur; unde conformiter ad opinionem Chrysostomi concludit, illos, qui Salvatore, seductorem esse, dicebant, principes fuisse, nisi forte cum Cajetano sentire velimus, qui ait: « Dicentes, quod seducit turbam, inter turbas quidem erant, sed non de turba; nisi forte increduli aliqui de turba arrogantes sibi exemptionem a turba, tanquam prudentiores aliis. » Chrysostomus porro in laudem plebeiorum, magnatum vero reprehensionem prosequitur, dicens: « Vides ubi que optimates quidem corruptos, turbam vero sano fuisse iudicio, » pauperes enim, id est, qui continuo laborant, huicque mundo, non adeo tenaciter adhaerescunt, ad Christum sequendum aptiores sunt, magisque dispositi; ideoque obedientiae praeceptis divinis et legi Evangelicæ exhibende capaciores existunt. Quinam obscuro si fuerunt, qui ad nuptias prae aliis in Evangelio invitati fuisse leguntur, id est, qui incarnationis Filii Dei gratias et beneficia immensa quam maxime participarunt? *Luc., XII, 13: Pauperes, debiles, caecos et claudos introduce huc*. Quinam inter alios ad aeternarum caeli deliciarum fruitionem fuere vocati? *Matth., V: Beati pauperes, beati qui lugent, beati qui persecutionem patientur*; nunquam dicitur: *Beati divites, beati principes*, sed prima beatitudo pauperibus ascribi-

tur, inquit S. Ambrosius, *lib. V in Luc.*: « Primam beatitudinem hanc uterque Evangelista posuit; ordine enim prima est et parens generatioque virtutum; » imo valde considerandum est, quod S. Matthaeus, *v, 1*, dicit: *Videns turbas, ascendit in montem*, ex eodemque omnibus octo beatitudines turbis annuntiavit: *Videns turbas*, quotiescumque de Christi sequela, vel de ejus notitia sua agnitione et commendatione agitur, turbarum semper fit mentio, nunquam vero magnatum mundi hujus vel Principum. Quando sancta illa mulier ad Christum a calumnia illa, qua dæmoniacus vocabatur, defendendum in haec voces clamando prorupit: *Beatus venter qui te portavit*, S. Lucas hac de re scribens ita loquitur: *Extollens vocem quaedam mulier de turba*; quando ei regni sceptrum offerre, eumque Regem creare moliebantur, oblatio isthaec a turba illa facta fuit, quam in deserto miraculose paverat, *Joan., VI, 2: Sequēbatur eum multitudo magna*; turba doctrinae et sapientiae ejus applausit, *Matth., VII, 28: Admirabantur turbæ super doctrinam ejus*. Turba magna cum aviditate eum secuta, eique magna cum reverentia obsecuta fuit, *Luc., IV, 42: Turbæ respirebant eum*; turba vivacissime sacramentum ejus humanitatem fide apprehendit, *Luc., VI, 19: Omnis turba quaerēbat eum tangere, quia virtus de illo exibat*. Turbæ ad eum exaltandum et magnificandum, reverentiali cum timore, laudibus et gloria prosecute fuerunt, *Matth., IX, 8: Videntes turbæ timuerunt et glorificaverunt*. Turbæ ad divinum ejus verbum auscultandum magna cum frequentia concurrerunt, *Luc., V, 1: Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei*. Quæ omnia devotionis et fidei turbarum erga Salvatore clarissimum perhibent testimonium; quod tamen vel maxime ediderunt, quando cum olivis et palmis triumphalibus ipsi obviam procedentes, Filium Dei et Messiam esse proclamaverunt, *Matth., XXI, 8: Plurima autem turba straverunt vestimenta sua; de iisdem turbis dicitur, Matth., XII, 23: Stupebant omnes turbæ et dicebant: Numquid hic est Filius David?* Imo ipsemet Christus discipulos suos, non de Scribis, Phariseis, sacerdotibus aut principibus, sed de turbis, interrogavit, dicens, *Luc., V, 18: Quem me dicunt esse turbæ?* Imo ex quo turbæ post Lazari resurrectionem Christum venerabantur, eique credebant? *Testimonium perhibebat turba, quando Lazarum vocavit de monumento*; principes utique majori adversus Redemptorem ferocia usi fuissent, nisi turbas in favorem ipsius seditionem concitaturas fuisse formidassent, *Marc., XII, 17: Quaerentes eum tenere, timuerunt turbas*. Ex alia vero parte Principes, omnium malorum, quæ Christo acciderunt, auctores et instrumenta fuisse compertimus, *Matth., XXI, 15: Videntes Principes mirabilia quæ fecit, indignati sunt*; imo ipsemet de se dixit, *Jo., VII, 48: Numquid ex Principibus aliquis crederit in eum? Sed*

turba hæc, quæ non novit legem, et moledicti sunt. Discipuli in Emmaus abentes, Principes agooverunt fuisse crucifixionis Christi auctores, *Luc., XXIV, 29: Tradiderunt eum summis Sacerdotibus et Principibus nostris in damnationem mortis, et crucifixerunt eum*. Id quod Christus ipsemet iis die ante prædixerat, *Matth., XVI, 31: Cept ostendere discipulis suis, quia oportet eum multa pati a senioribus, et Scribis, et Principibus sacerdotum*; *Matth., XX, 18: Filius hominis tradetur Principibus sacerdotum et condemnabunt eum*. Judas cum illis pactum iniit de mercede venditionis et traditionis ipsius per eum faciendæ, *Matth., XXVI, 14: Tunc abiit unus de duodecim ad Principes sacerdotum, et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam?* At illi constituerunt ei triginta argenteos. Lictores ab iisdem ad eum capiendum missi fuerunt, *Matth., XXVI, 47: Missi a Principibus sacerdotum cum gladiis et fustibus*; ipsi ad eum condemnandum falsos testes mirornarunt, *Matth., XXVI, 59: Principes sacerdotum quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent*. Quando Pilatus inclinationem, qua ad Christum a mortis sententia liberandum propendebat, insinuare volens, Judæis Christum inter et Barabbam optionem indulsit, *Marc., XV, 14: Pontifex concitaverunt turban, ut magis Barabbam dimitteret eis*. In cruce denique positum, *Luc., XXIII, 35: Deridebant eum Principes sacerdotum*. Ex quibus omnibus satis liquet, jure merito credi posse solos divites, potentis et primates populi adversus ipsum murmurasse, male de eo fuisse locutos.

5. — S. Augustinus hoc loco optime considerat, hæc eadem murmuratione omnes servos Dei etiamnum infestari: « De omnibus servis ejus hoc dicitur modo; quicunque enim eminerit in aliqua gratia spirituali, profecto alii dicunt, bonus est, alii non. Unde hoc? *Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Colos., III, 3.* » Ad quod explanandum congruam arboris adducit similitudinem,

qua hyberno quidem tempore frondibus spoliata, arida et exsuccida, imo mortua esse videtur, cum tamen cum vere inchoante gemmare conspiciatur, viva esse ab omnibus agnoscitur: « Similis est aridæ et quamdiu hyems est, non apparet, aestas « probat, iudicium probat; aestas nostra revelatio « Christi est. »

6. — Beda dixit: « Hoc patitur corpus Christi « usque ad finem seculi a mundi amatoribus, quod « tunc passus est a Judæorum murmuratoribus. »

VERSUS 13.

Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.

1. — Lyranus per hosce Judæos, non tam Judæos in genere quam illos, qui ex tribu Juda descendebant, intelligendos esse existimat: « Scilicet illorum « de tribu Juda; licet enim omnes de populo nominarentur Judæi, tamen specialiter modo sic nominantur illi de tribu Juda; et isti quibus movebantur contra Christum, eo quod in Scripturis Christus « erat promissus de tribu eorum, ipsi autem repubabant ipsum Galilæum, et ab eis extraneum; « propter quod et sacerdotes etiam repudiabant « eum. »

2. — Nonnulli quidem eorum, qui clariorem Filii Dei notitiam habebant, ipsi tanquam vero Messie acclamaturi, eumque apertis in veneratione habitari fuissent, ab eo tamen per Principum synagogæ coercebantur timorem: « Quia turbæ « comprimebantur, » inquit S. Thomas, « propter « metum Principum sacerdotum, quia ut dicitur, « *Joan., IX, 2: Si quis confiteretur ipsum esse Christum, extra synagogam, etc.* Ex quo patet eorum, « qui principabantur, malitia, qua Christo insidiabantur, ut eorum qui subjiciantur, scilicet plebis, « quia non habebant libertatem dicendi quod sen-

FERIA QUARTA PASSIONIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. X, VERS. 22

22. Facta sunt encenia in Jerosolymis, et hyems erat.
 23. Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis.
 24. Circumderunt ergo eum Judæi, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.
 25. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis.
 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.
 27. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me.
 28. Et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quispiam de manu mea.

29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei.

30. Ego et Pater unum sumus.

31. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum.

32. Respondit ei Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis.

33. Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.

34. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi: Dii estis?

35. Si illos dixit Deus ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura.

36. Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemias, quia dixi: Filius Dei sum.

37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

38. Si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.

VERSUS 22.

Facta sunt encenia in Jerosolymis, et hyems erat.

Facta sunt encenia in Jerosolymis.

1. — Porro qualis hæc, quæ tunc celebrabatur, festivitas fuerit, S. Augustinus, *tract. XLVII in Joan.*, luce verbis declarat: « Encenia festivitas erat « dedicationis templi, quando cumque novum ali- « quod fuerit dedicatum, encenia vocatur: jam « et usus habet hoc verbum, ut si quis nova tunica « induatur, enceniari dicitur. » Enimvero certissimum est, Christum in conversione peccatoris sum- « pte gaudere: *Gaudium est super uno peccatore penitentem agente*, gaudetque cum illo universus Paradisus; peccator enim deposito veteri et obsoleto vitiis, malarumque inclinationum habitu, novo Christianorum virtutum amicti superinduitur, juxta illud S. Pauli, *Eph., IV, 22*, monitum: *Deponite vos secundum Pristinam conversationem veterem hominem, renovamini autem spiritu mentis vestrae*. Dionysius Carthusianus ait: « Anima nostra, quæ est « templum Spiritus Sancti, agat encenia, id est, « commemoratio consecrationis suæ quæ in « fonte Baptismi dedicata et consecrata est Deo eo « modo, quo monet Apostolus ad *Coloss., II, 9*: « *Expolians veterem hominem cum artibus suis et « induentes novum, eum qui, etc.* » Gilbertus Abbas, *Serm. XXXI in Cant.*, super illa verba Canticum, *IX, 2*: *Dentes tui sicut greges tonsurarum, quæ ascendant de lavacro*, ita scribit: « Veterem deponentes « hominem, loti, alacris ad superiora conscen- « dunt. »

2. — Hebræi hæc festivitatem in memoriam dedicationis templi celebrabant, sicut etiam apud nos in usu esse videmus; non tamen illius templi, quod a Salomone quondam edificatum fuit, hoc enim, ut venerabilis Beda bene advertit, in antumo absolutum et consecratum fuit; multo minus ejus,

quod tempore Zorobabel erectum fuisse legitur; hoc enim verno tempore fuit perfectum et dedica- « tum; sed templi illius, prout a Juda Machabeo restauratum fuit, quod factum est tempore hyberno. Unde Toletus ait: « Die XXV Novembris, qui apud « Judæos erat mensis nonus, peragebatur illud « festum, quando tempore Machabeorum, altare a « gentibus profanatum, destructum est et novum « edificatum. » Porro festum istud nec jussu Dei in lege scripta relatum, nec a Prophetis ordinatum, sed a Juda Machabeo, de seniorum consilio pariter et consensu institutum fuit: « Voluit Dominus, » inquit Salmeron, « huic festo interesse, ne quis « precepta Ecclesiæ et majorum, etiam ubi non est « Scriptura, contemnat. »

3. — S. Thomas, in *Joan.*, circa hæc verba observat quod festa ab Ecclesia instituta suam a receptis a nobis beneficiis divinis habuerint origi- « nem; in cujus probationem ponderat, quod Psal- « mista, *Psal. CXVII, 27*, postquam varia a Deo recepta beneficia commemorasset, tandem nos exhortetur, dicens: *Confitemini Domino quoniam bonus, etc.*, ac tandem subdit: *Constituio diem solennem in con- « densis, etc.* Declarat autem idem Angelicus Doctor, quod tribus potissimum modis beneficia recepta a nobis commemorantur; primo scilicet: « Ut exhi- « bita nobis in capite nostro Christo et sic celebra- « mus festa Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis. » Quandoque ut exhibita nobis in membris nostris, « scilicet in Sanctis, qui sunt membra Ecclesiæ et « sic celebramus festa Sanctorum. Quandoque ut « sunt exhibita toti Ecclesiæ, puta in ministerio « Sacramentorum et in aliis communiter Ecclesiæ « collatis; et quia domus materialis est quasi sig- « num collectionis Ecclesiæ fidelium et etiam in ea « omnia Sacramenta gratiæ dispensantur, ideo in « memoriam ipsorum beneficiorum festum dedica- « tionis Ecclesiæ celebramus. »

Et hyems erat.

4. — Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib. X in Joan.*, ait: « Juxta litteram indicatur natura temporis, « sed mystice, quod magis ad rem pertinet, frigida « Judæorum significatur impietas, quia mentes « illorum a divino igne aversas, diabolus, tanquam « glacialis Boreas afflaverat. » Hoc idem mysterium a Venerabile Beda tangitur, scilicet quod Evange- « lista hyemem fuisse dicit, non tam ad tempus anni insinuandum, quam ad indicandam Judæorum incredulitatem, eorumque obstinationem et duri- « tiem describendam: « Omnino propter duritiam « Judæorum et infidelitatem, quæ frigoris nomine « sæpe designari legitur. » S. Thomas citat S. Gregorium, qui etiam hyemis mentionem fieri existimat: « Ut inesse auditorum cordibus scilicet « Judæorum, malitiæ frigus indicaret. »

5. — Albertus Magnus hoc festum in mensem decembris incidisse existimat, quo maximum frigus esse solet: « Et ideo tunc frigidis peccatoribus « magis erat necessarium, ut exhiberetur eis calor « charitatis in ignito eloquio Salvatoris. » Dum Petrus Christum abnegaret, Evangelista frigus acerbum fuisse memorat, quod S. Gregorius ponderans, ita « scribit: « Quod de negaluro Petro præmittitur, « quia frigus erat, et stans ad prunas calefaciebat « se, jam namque intus a charitatis calore torpue- « rat: *sequebatur eum a longe*; » quamdiu Christo vicinus erat, animosum se et intrepidum esse ostendit; at vero quando ab eo recessit, de quo dicitur: *Deus ignis consumens est*, mox frigus ingens se invadere sensit. Unde S. Ambrosius, in *cap. XXII Luc.*, ait: « Frigus erat, ubi Jesus non agnoscebat, ubi « negabatur ignis consumens; frigus ergo erat « mentis, non corporis. »

6. — S. Augustinus, *tract. XLVIII*, ait: « Hyems « erat et frigidum erant, ad illum enim divinum « ignem accedere pigri erant; si accedere est ere- « dere, qui credit, accedit, qui negat, recedit; non « movetur anima pedibus, sed affectibus; friguerant « a diligendi charitate et ardebant nocendi cupi- « ditate. »

7. — Salmeron dicit Evangelistam importunam hyberni temporis stationem insinuasse: « Ad signi- « ficandum, hyemem atque frigidum tempus non « impedivisse Jesum ab adventu in templum, ut « ignem, quem venit mittere in terram, accende- « ret. »

VERSUS 23.

Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis.

Et ambulabat Jesus.

1. — Psalmista, *Psal. XVII, 6*, de futuro Messia ferventissimo redemptionis et salutis nostræ pro-

motore prædixit: *Exultavit ut gigas ad currendam viam*. Tametsi vero mulierem illam peccatricem conversuram juxta puteum sedisse dicitur: *Sedens sic supra fontem*, prius tamen de illo dicitur, quod fuerit *fatigatus ex itinere*. « Dicitur autem quod « Jesus ambularet, » inquit Salmeron, « non minus « circumiens et quaerens ovem quam ad salutem « devoret Leo de tribu Juda, quam diabolus tan- « quam leo rugiens querit, cum ad interitum « devoret. Circuibat verus noster Josue civitatem « Jericho, ut ad circuitum ejus caderet, non utens « tuba sacerdotali, sed voce sua Evangelica. » Lucas Brugensis hæc deambulationem non animi causa factam fuisse dicit: « Non animi recreandi, « aut sermonum vanorum cum aliis miscendorum « causa, sed ut presentem se ostenderet et paratum « exhiberet ad docendum et benefaciendum. »

2. — Eusebius Emisenus, *Hom. III de deic. Eccl.*, Christum in templo non sedisse, aut quovis, sed ambulasse notat: « Adverte, quia in illius tem- « pli exterioribus, adhuc foris ambulabat Jesus, nec « sedem ponit, sed deambulabat, nec intus ingre- « ditur, hujus autem exteriori perpetuo habitatu- « rus intravit, sicut ipse dixit: *Ecce ego vobiscum « sum omnibus diebus usque ad consummationem sæ- « culi.* »

3. — Dionysius Carthusianus ad sensum morale recurrrens, mysticum hoc templum in anima nostra reperiri notat: « Ambulabat autem Jesus in « anima, dum in latitudine charitatis familiariter « conversatur et operatur in ea sicut per Moysen « loquitur: *Quia inhabitabo et ambulabo in eis*; de- « niq̄ue Deus immensus et incommutabilis pergit « nobiscum, quando custodit introitum et exitum « nostrum, quemadmodum ait ad David: *Fui tecum « in omnibus ubicumque ambulasti.* »

In templo.

4. — Ex hoc Salmeron Christi in templo fre- « quentando assiduitatem ad nostram instructionem deducit: « Ut doceret nos templum frequentare « orationis, sacrificii et verbi Dei causa. »

5. — Venerabilis Beda super illo verbo motivum nobis suggerit consolationis, dum ait: « Si ergo Dei « Filius ambulare voluit in templo, in quo caro et « sanguis brutorum animalium offerebatur, multo « magis nostram orationis domum, ubi carnis « ipsius ac sanguinis Sacramenta celebrantur, visi- « tare gaudebit. »

In porticu Salomonis.

6. — Salmeron opinatur, quod tametsi templum Salomonis igne a Chaldæis supposito conflagrarit, hunc tamen porticum, vel saltem aliquod ejus vestigium residuum manere potuisse, vel etiam dici potest, quod e Babylonia Jerosolymam reversi, aliud exstruxerint templum ad prioris similitudinem,

illudque denominarint porticum Salomonis: « Vel ideo Salomonis dicitur, quod in ea stare ad locum quod tur, ut capiant eum in sermonibus, ideo interrogant ut possint capere. »

2. — Ex ipsorum manibus evadere non poterat, quia corona circa ipsum facta eum quaeversum circumdederant, atque ut gressum sisteret et pedis responsa daret, constrinxerant: « Sive discendi cupiditatem simulates, » inquit Lucas Brugensis, « sive ut quicquid responderet, omnes audire æque possent, spe ducti adducendi circumventum a multitudine, ac proinde turbatum, ad responsionem incantam. »

3. — Salmeron, *tract. XLII*, ad hanc Judæorum eum circumdantium coronam se reflectens, illam nequaquam illi similem fuisse dicit, quia discipuli ipse etenim tametsi in capitalium inimicorum suorum medio constitutus esset, non solum tamen illatus, sed et corde intrepidus permansit. Advertendum est autem, quod dixerit, *Joon.*, v, 36: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, etc.* Quisquis enim intus limpida mundamque conscientiam habet, exactusque est divinorum præceptorum executor, nunquam formidat, tametsi totus adversus eum mundus armatus consistat; siquidem *Iustorum animæ in manu Dei sunt, non tangit illos tormentum mortis.* Sap., III, 1.

8. — Albertus Magnus aliam quamdam tangit circumstantiam, ob quam fortassis Salvator noster hunc locum frequentandi motivum habuit: « Ibi etiam hospitale pauperum edificatum fuit, quibus semper Christus familiaris fuit. »

9. — Beda ait: « Si deambulare non despexit porticum, in quo rex quondam mortalis ac terrenus, quamvis potentissimus ac sapientissimus ad orandum stare solebat, quanto magis penetravit cordium nostrorum invisere atque illustrare desiderat, si tamen ea porticum esse Salomonis, hoc est, si ea timorem suum, qui est initium sapientie, habere perspexerit? »

Versus 24.

Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.

Circumdederunt ergo eum Judæi.

1. — Cajetanus inquit: « Ex condiclo adversus Jesum se convenire etiam circumdatione monstrat, tanquam facto mentem exponentes. » Lyranus dicit, omnes unitim et conjunctim simul conatos fuisse, ut si possibile esset, ipsum per suas interrogaciones in aliquem labi facerent errorem, « ut citius eum in verbis caperent; » cui consonant quod Hugo Cardinalis hisce verbis scribit: « Cor-

rupta erat eorum mens et callida, quia enim non poterant inferre calumniam operibus, insidiantur, ut capiant eum in sermonibus, ideo interrogant ut possint capere. »

2. — Ex ipsorum manibus evadere non poterat, quia corona circa ipsum facta eum quaeversum circumdederant, atque ut gressum sisteret et pedis responsa daret, constrinxerant: « Sive discendi cupiditatem simulates, » inquit Lucas Brugensis, « sive ut quicquid responderet, omnes audire æque possent, spe ducti adducendi circumventum a multitudine, ac proinde turbatum, ad responsionem incantam. »

3. — Salmeron, *tract. XLII*, ad hanc Judæorum eum circumdantium coronam se reflectens, illam nequaquam illi similem fuisse dicit, quia discipuli ipse etenim tametsi in capitalium inimicorum suorum medio constitutus esset, non solum tamen illatus, sed et corde intrepidus permansit. Advertendum est autem, quod dixerit, *Joon.*, v, 36: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, etc.* Quisquis enim intus limpida mundamque conscientiam habet, exactusque est divinorum præceptorum executor, nunquam formidat, tametsi totus adversus eum mundus armatus consistat; siquidem *Iustorum animæ in manu Dei sunt, non tangit illos tormentum mortis.* Sap., III, 1.

Et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis?

8. — « Adulatorie loquuntur, » inquit S. Thomas, in *Joon.*, « volentes per hoc ostendere, se desiderare scire veritatem de ipso; quasi dicant, « anima nostra est in suspensio desiderii, quamdiu nostros nos relinquit? » Lucas Brugensis ait: « Fingunt se languere, ac propemodum emori præ desiderio aperte cognoscendi Jesum. » Hæc vero adulationes in mortali odii demonstrationibus terminantur, siquidem manus suas prolinus extendunt ad lapides, ut his illum impeterent.

9. — Jansenius ipsos conquestos fuisse dicit, quod ipsos, verborum suorum ambiguitate, quoad personam suam, in suspensio relinqueret: « Quamdiu animos nostros aut nos suspensos tones verborum tuorum ambiguitate? » Cajetanus in eadem est sententia, dum ait: « Fingunt se cruciari obscuritate verborum Jesu, utpote affectantes sequi ipsum, si manifeste loqueretur. » Ilanc porro suspensionem et ambiguitatem se mortis doloribus affligere et cruciari simulabant, seu potius fingebant: « Cruciatum suspensi animi ad affectatam rem, seu notitiam significant, exaggerando usque ad periculum vite. »

10. — Hugo Cardinalis ait: « Nota qualiter malitiam cooperiunt, præmittunt enim verba adulationis; se namque cupidos esse simulabant sciendi an Filius Dei esset, ut eum debito modo venerari possent, cum tamen ipsi in scopum omnino

4. — Lucas Brugensis dicit: « Fraudulenter et insidiosè loquuntur, non credere stantes verbis ejus, sed siquidem negat se esse Christum, « omnes ei fidem et auctoritatem apud populum detrahant et seductorem vocent. »

5. — Albertus Magnus ipsos hæc obsidione, qua Christum omni ex parte cinxerant, melum et pavorem ipsi incurrere voluisse dicit: « Ut multitudinem se armarent, quia veritate se nudos esse professi sunt. *Eccli.*, I, 10: *Circumdederunt me undique et non fuit qui me adjuvaret; circumdederunt, ut tumultu opprimerent. »*

6. — Hugo Cardinalis hæc occasione Davidicum illud, *Psal.* cxvii, 12, adimpletum fuisse dicit oraculum: *Circumdederunt me sicut apes;* cujus tametsi rationem non assignet, hoc tamen esse potest mys-

terium, quia videlicet vere instar apum, mel adulationis et fictionis in ore ferebant, simulando se sciendi cupidos an verus esset Messias, cum tamen revera mortalis adversus ipsum odii aculeum in intentione ipsorum latitantem haberent. « Nacti sibi videbantur opportunitate, » inquit Rupertus Abbas, « accupaudi contra eum aliquid, unde posset accusari. » Unde cum Susanna, *Dom.*, XII, 22, dicere poterat: *Augustiæ sunt mihi undique,* quia quidquid demum diceret aut faceret, id totum perverse et sinistra ipsorum censura et interpretatione subjectum erat, totamque majori invidia et odii flammæ accendendæ serviebat.

7. — Veruntamen longe verius quam David, *Psal.* cxvii, 3, Salvator noster dicere potuit: *Si consistat adversum me castra, non timebit cor meum;* ipse etenim tametsi in capitalium inimicorum suorum medio constitutus esset, non solum tamen illatus, sed et corde intrepidus permansit. Advertendum est autem, quod dixerit, *Joon.*, v, 36: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, etc.* Quisquis enim intus limpida mundamque conscientiam habet, exactusque est divinorum præceptorum executor, nunquam formidat, tametsi totus adversus eum mundus armatus consistat; siquidem *Iustorum animæ in manu Dei sunt, non tangit illos tormentum mortis.* Sap., III, 1.

Et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis?

8. — « Adulatorie loquuntur, » inquit S. Thomas, in *Joon.*, « volentes per hoc ostendere, se desiderare scire veritatem de ipso; quasi dicant, « anima nostra est in suspensio desiderii, quamdiu nostros nos relinquit? » Lucas Brugensis ait: « Fingunt se languere, ac propemodum emori præ desiderio aperte cognoscendi Jesum. » Hæc vero adulationes in mortali odii demonstrationibus terminantur, siquidem manus suas prolinus extendunt ad lapides, ut his illum impeterent.

9. — Jansenius ipsos conquestos fuisse dicit, quod ipsos, verborum suorum ambiguitate, quoad personam suam, in suspensio relinqueret: « Quamdiu animos nostros aut nos suspensos tones verborum tuorum ambiguitate? » Cajetanus in eadem est sententia, dum ait: « Fingunt se cruciari obscuritate verborum Jesu, utpote affectantes sequi ipsum, si manifeste loqueretur. » Ilanc porro suspensionem et ambiguitatem se mortis doloribus affligere et cruciari simulabant, seu potius fingebant: « Cruciatum suspensi animi ad affectatam rem, seu notitiam significant, exaggerando usque ad periculum vite. »

10. — Hugo Cardinalis ait: « Nota qualiter malitiam cooperiunt, præmittunt enim verba adulationis; se namque cupidos esse simulabant sciendi an Filius Dei esset, ut eum debito modo venerari possent, cum tamen ipsi in scopum omnino

contrarium collarent, simile fore exemplum Matthæi, *xxii*, 16, legitur, quando ad eum accedentes dixerunt: *Magister, scimus quia verax es, etc.* « Quod autem non descendi, sed tentandi gratia quærent, ista lapidatio monstravit; quem enim ita fide dignum aestimavit, ut de seipso tentarem « suscipere, parva quedam locutum festimè lapidaverunt. »

11. — Tolutus ipsos, in hisce verbis, duo mendacia protulisse notat. Primum est, quod se præ nimis intenso desiderio sciendi an verus Christus esset, affligi dixerint, quod falsum erat, siquidem si id de eo credere voluissent, non ulique dicturi fuissent: *Dæmonium habes;* cum enim ipsum dæmoniæ appellarint, signum est, quod de ejus divinitate minime ambigebant. Secundum vero erat, quod Christus hujus perplexitatis causam esse dicerent: « Et hoc erat mendacium; nam sufficientissime « agnoverat quis esset. »

12. — S. Antonius Paduanus, *Serm. in hac fer.*, illos verum dixisse existimat, revera enim in animabus suis affligebantur, videntes stupenda quæ patrabat miracula: « Quia invidi Judæi invidia « pleni erant, ideo incessanter stimulantur in corde tanto lethalius, quanto videbant Christum « plus clarificari prodigiis et doctrina; » hoc tamen odium et invidiam, sub pretextu quod illum verum Messiam esse se ignorarent, caute tenebant. Glossa ait: « Calumniantur illum tollere animas, qui salvat. »

13. — Salmeron quamdam in ipsis malitiam subtilitatem ponderat, quæ usi fuere, ut Christum ad intentum ab illis finem loqui inducerent, ipsique omnia quæ respondisset, censurandi et calumniandi occasione haberent: « Quoniam videbant Dominum animas diligere, quo facilius eliciant responsum quod volunt, animam suam afflictam et hujus rei desiderio suspensam asserunt et in singulari dicunt animam, ut plus moveant. » Nihil enim Christus æque impense desiderabat, quam ut animarum securitati consulere possent, cujus equidem hæc unica via erat, nimirum communicata illis sui ipsius perfecta notitia: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.*

Si tu es Christus.

14. — Non quidem hoc ab eo testimonium postulabant, quasi in eum quodammodo crederent, sed ut fidem ipsius et auctoritatem penes populum diminuissent, et ut eum apud Judæos Præsidentem, tanquam Cæsareæ Majestatis læsæ reum, accusarent, ac demum veluti blasphemum morti adjudicare possent. Unde Ven. Beda ait: « Hæc vero non veritatem fidei inquirendo, sed illi, quem interrogabant, insidiando et calumniam struendo dicebant, ut invenirent quod accusarent. » Lyranus ulterius perversam illorum intentionem delegit,

nimirum quod verbis illis se omnibus, quae ad eos dicturus esset, acquiescere, usque fidem se adhibere vole simulari: « Per hoc inuentes, quod vellint « ejus dicto stare et eum libenter sicut Christum « recipere, eum tamen habere contrarium in « corde. » Unde Rupertus Abbas Tuitiensis dolosam hanc fictionem aperte accusans, hinc eam verbis illis improperat: « Quid enim ex ore ipsius audire « desideratis, nisi ut apud potestatem Romani im- « perii adversus illum accusationem inevitabilem « invenire possitis? » ut Pilatum sibi conciliarent, ferendamque ab eo contra Christum sententiam pro volo ab eodem oblinere possent, hanc coram ipsius tribunali adduxerunt accusationem, *Joan.*, xix, 12: *Si hunc dimittis, nos es amicus Caesaris, omnis enim qui se Regem facit, contradicit Caesari; suum namque Messiam temporaliter regnatum esse existimabant.* Dionysius Carthusianus dicit, quod tunc Messiam praesolati fuerint, quo modo illum semper haec expectarunt; nimirum « sic « futurum, quod esset rex potentissimus et mundi « monarcha, atque omnia regna subjecturus pro « Judaeis: *Dominabitur a mari usque ad mare.* At- « tende illorum perversitatem, » inquit S. Thomas, « nam quia indignabatur contra Christum, quod « se diceret Filium Dei, non interrogant eum, an « sit Filius Dei, sed dicunt: *Si tu es Christus;* » quia eum propter responsum assertivum apud imperatorem, tanquam si velut seditiosus regnum affectasset, accusare volebant; notat quoque idem Sanctus, quod quando ipsum apud Pilatum accusarunt, quod se Filium Dei fecisset, flocci idipsum fecerit; non vero item quando ei objecerunt: *Omnis qui se Regem facit, contradicit Caesari.* Unde Lyranus verba illa: *Si tu es Christus, ita glossat, « id est, unctus, quae unctio debebatur Regibus. »*

15. — Merito igitur Salvator noster illis improperat, *Joan.*, viii, 44, dicens: *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri cultis perficere;* hic enim pari cum perplexitate animi Christum in deserto conveni, ipsum interrogando: *Si Filius Dei es, quod cum ipsorum sollicitatione valde convenit, qua dicebant: Si tu es Christus, Dæmon ei lapides obtulit dicens: Die ut lapides isti panes fiant; hi vero patre suo peiores, duriores et perversiores: Sustulerunt lapides ut jacerent in eum.*

Die nobis.

16. — Chrysostomus, *Hom. lx in Joan.*, hic ait: « Si recte advertere voluissent, ex verbis quoque « ipsum confiteri debuissent, nam operibus saepe- « numero ostendit; sed considera eorum pravita- « tem; eum verum eduntur dicunt: *Quod signum « ostendis?* Cum autem operibus ejus virtus demon- « stratur, dicunt: *Si tu es Christus, die nobis palam;* « sic operibus clamantibus ad verba, verbis autem « ad opera confugiunt, et contrariis semper insis-

tant. » Porro S. Antonius de Padua postquam eandem posuisset considerationem locum illum Psalmi subjungit: *In circuitu impij ambulat.* Theophylactus quoque ait: « Cum opera predicarent « illum esse Christum, isti ex verbis quaerebant dis- « cere, quod ludentium magis est et deridentium. » S. Augustinus ait: « Non veritatem considerabant, « sed calumniam praeparabant. »

Palam.

17. — Nimirum testimonium istud ex ipsiusmet ore, voce clara, elata et distincta prolatum audire volebant, ut testimonium adversus ipsum perhibere possent. Unde Lyranus ait: « *Dic nobis palam,* ut « possent habere contra eum testimonium. » Jansenius dicit: « *Palam,* posito scilicet omni metu et « verborum involuero. » Lucas Bruggensis ita explicat: « Aperte et verbis claris, clare loquideque, sine « verborum ambagibus et parabolarum involucriis, « quibus tua fere soles involvere. »

Ventus 25.

Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis; opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me.

Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis.

1. — « Mirabili artificio imo verbo se esse Chris- « tum confitetur, » inquit Toletus, « et fraudem « illorum declinat, et simul mendacia eorum revin- « cit. *Loquor,* inquit, *vobis,* ac si diceret, ego nihil « aliud facio quam loqui et manifestare quod pe- « titis. » Merito illis objiciebat, quod nullam verbis suis fidem adhibuerint; siquidem ipsi exprobraverant, *Joan.*, viii, 13: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.*

2. — Hugo Cardinalis ait: « *Loquor vobis* verba « doctrinae quae nemo alius unquam locutus est, et « ideo potestis me per ea cognoscere. » S. Petrus ei protestatus fuerat dicendo: *Verba vitae aeternae habes;* imo ipsimet lietores quoque qui ad eum capiendum missi fuerant, verba ejus omnem humanam capacitatis sphaeram excedere fatebantur: *Nunquam sic locutus est homo.* Unde Beda ait: « Proprie os- « tendit quis esset, cum dixit: *Loquor vobis,* id « est, Verbum Dei coeternum Patri. »

3. — Cajetanus rationem reddit, cur Salvator se Christum esse, aperte declarare noluerit, videlicet: « Quia non erat adhuc passionis tempus ab eo deli- « nitum, respondit ad intima eorum, manifestans « quod intelligit corda eorum, quod flete interro- « gant. »

4. — Matthaei, xii, 16, quando similibus adula- toriis et fucatis technis eum aggrediebantur dicen- tes: *Magister scimus quia verax es, etc.* publice illos et acriter reprehendit, hypocrysim illis manifeste

exprobrans: *Quid me tentatis, hypocrite?* Non vero hoc loco sic facit, inquit Hugo Cardinalis: « Per hoc « ostendens, quoniam novit abscondita mentis eo- « rum; hic autem nihil loquitur, per hoc erudiens « nos, non de omnibus arguere eos, qui insidiantur, « sed praemansuetudine et humilitate multa dissi- « mulare. » Poterat utique illis perversa illorum detegere consilia, quibus ipsum apud Pilatum accusare nitentur, insinuando illis, quod invidia odii, fictionis et falsitatis veneno pleni essent; sed dissimulare voluit, ne occulta ipsorum peccata palam manifestaret, et ut omnem quoque illis adimeret magis contra ipsum malignandi occasionem, qua utique usi fuissent, si illos exasperasset.

5. — Idem quoque Hugo in sensu morali dicit: « *Loquor vobis* interius per inspirationem, exterius « per Scripturas et beneficiorum largitiones, et non « creditis; non credimus verbis Christi propter « quatuor, vel quinque, scilicet: quia nobis displicent. *Eccl.*, xxi, 18: *Audiet luxuriosus, et displicent illi, et projiciet illud post dorsum suum.* Item « quia sunt contraria sapientiae nostrae. *I Cor.*, ii, « 14: *Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei, stultitia est illi, et non potest intelligere.* « Item, quia de talibus non cogitamus. *Prov.*, xviii, « 2: *Non recipit stultus verba prudentiae, nisi ea dixeris, quae versantur in corde ejus.* Item, quia fingimus ea dicta ad terrorem, non ad veritatem. Item « quia non videmus penas, quas comminatur. »

Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me.

6. — S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. vii in Joan.*, ait: « Oportet unumquemque ex qualitate operum « spectari, nec ad sola verba respiciendum est. » Christus igitur dicendo quod in virtute aeterni Patris operetur, Judaeos blasphemos declarabat, qui ei exprobrare non dubitabant quod in virtute Beelzebub daemonia egeret.

7. — S. Thomas, in *Joan.*, ait: « Non solum « verbis, sed nec operibus meis testimonium perhibentibus de me creditis, qui modo fingitis solis « verbis vos credituros; dixerant enim: *Si tu es Christus, die nobis.* » Theophylactus Christum hinc verbis fictionem et duplicitem illorum reprehendere voluisse existimat, quasi diceret: « Quid « ita simulatis, quod nudo verbo persuadeamini? « Opera quae ego facio non ut adversarius Dei, sed « in nomine Patris mei, non recipitis: quomodo nu- « dis verbis crederetis? omnino enim major est « virtus operum quam verborum ad persuaden- « dum. » Hugo Cardinalis ex hisce praemissis illam consequentiam deduci considerat, quod scilicet fraudulenta esset illa sibi proposita interrogatio: « *Patet quod superflua et subdola est vestra interro- « gatio;* » ratio est, quia si admirandis, prodigiis, prorsusque divinis factis ejus non credebant, multo

minus nudis verbis praestitari erant fidem; haec enim Christi opera evidens reddebant divinitatis ipsius testimonium. Unde ipsemet Dominus, *Joan.*, v, 36, dicit: *Ego habeo testimonium magis Joanne; opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficerem ea; ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Ideo quoque Nicodemus, *Joan.*, iii, 2, ait: *Nemo potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

8. — « Opera adjuncti, » inquit Lucas Bruggensis, « ut duplicis contumaciae eos convincat; nam praeter doctrinam habebant in miraculis luculentum « testimonium, nisi Deo fuissent rebelles. »

9. — Salmeron similitudinem fructiferae ejusdam arboris, olive videlicet, vel pyri adducit, qui si interrogaverit, cujus generis arbor sit, responsura utique esset: « Abunde fructus, quos produco, « testantur. Quisque ergo nostrum non gloriatur « aut in nobilitate, aut in fortunis, aut in potestate, « aut in sapientia, nemo ex his judicandus est a Deo, « sed ex operibus suis tantum, et ex usu illorum « donorum quae a Deo recipit. »

10. — S. Jacobus Apostolus in Epistola sua, ii, 18, dicit: *Ostende mihi fidem tuam ea operibus;* multi quidem sapienter de rebus divinis discurrunt, prout ex ministris Evangelii plurimi faciunt; at vero ut pro sinceris Evangelii ministris habeantur, oculus ad mores et ad opera dirigendus est; Ecclesiastici namque bono potius exemplo quam voce predicare debent: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.*

VERSUS 26.

Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.

1. — Toletus verba illa: *Vos non creditis,* non tantum simplicem quamdam incredulitatem, sed incredulitatem culpabilem designare dicit: « Quia « abundantissima habuerant et efficacissima media, « ut converti potuissent, ut sit sensus: Tot profecto « habuistis remedia, tot ae tanta argumenta, quibus « credere potuissetis, ut jam credidissetis, si de nu- « mero electorum, mearumque ovium fuissetis. » Jansenius vero hosce incredulos defendere velle videtur, siquidem hunc in modum discurrit: « Esse « ovem Christi est esse electum et praedestinatum, « sed divina electio et praedestinatio non est sita in « nostra potestate; ergo nec culpandi erunt, qui « non credunt, si ideo non credunt, quia non sunt « ex ovibus Christi, hoc est, quia non sunt electi. » Tandem vero huic discursui distinguendo respondet, enimvero esse ovem Christi, seu esse de numero electorum, aut credere in Deum, partim a divina gratia dependet et partim a nobis; et ideo nemo potest credere, nisi a gratia praeventus fuerit, et simul eodem tempore verum est, quod nemo credet, nisi velit: « Sic ut quis sit ex ovibus Christi, partim

« est ex gratia prædestinationis, partim ex spontanea credentis voluntate. Itaque cum dicitur: *Non creditis mihi, quia non estis ex ovibus meis*, intelligi potest, reddi per hoc rationem incredulitatis ipsorum; vel ex parte ipsorum, quia scilicet nollent esse ex ovibus ipsis, et sic suo vitio non essent oves Christi; vel ex parte Dei, quia scilicet non essent ex electorum numero. »

2. — Dionysius Carthusianus super hæc verba propositionem quandam statuit, quæ primo aspectu aliqualem in se continet difficultatem; dicit enim: « Non omnium est fides, sed electorum duntaxat; » hoc enim falsum esse videtur, quia multi etiam fideles in Evangelium credunt, qui tamen persæpe ad gloriam electi non sunt; idem vero extaticus Doctor eandem propositionem paulo post declarat dicens: « Omnes viatores electi sunt credentes, quoniam sine fide impossibile est placere Deo; » ac proinde S. Lucas in Actibus Apostolicis ita scribit: *Crediderunt quotquot prædestinati erant in vitam æternam.*

3. — Considerat hoc loco Lyranus Salvatorem in hac responsione sua se Christum esse non directe affirmasse, prouti hi malignantes desiderabant: « Sed dixit aliquid æquivalent, vel majus, ut responderet veritatem et excluderet calumniam malitiam. »

4. — Idem quoque ait: « *Non estis ex ovibus meis*, id est, innocentes et humiles, sed superbi et mali ligni, et ideo Dei judicio excecati; » quodsi enim ad coelestis illius Pastoris gregem admissi non fuerunt, propria ipsorum culpa id factum est: « Nam ego quidem ut Pastor bonus, » inquit Theophylactus, « que oportebat facere, feci; vos autem si non sequimini, non ego Pastoris, sed vos ovium vocatione indigni estis. » Unde S. Augustinus, tract. xviii, ait: « Oves credendo sunt, oves Pastorem sequendo sunt, oves Redemptorem non contemnendo sunt, oves per ostium intrando sunt. »

VERSUS 27.

Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me.

Oves meæ vocem meam audiunt.

1. — Dionysius Carthusianus efficaciter probat Christum hæc verba non de auditu externo solum intellexisse, quia sæpenumero hi increduli prædicationi ejus presentes intererant, eamque audiebant: « Loquitur ergo precipue de interiori auditu, id est, obedientia et consensu, ut sit sensus: *Oves meæ*, id est, homines, quorum corda per gratiam nutrita, atque multiplicis spiritualis alimonie cibo confortata, *vocem meam audiunt*, hoc est, verbis Evangelicæ legis, vel inspirationi internæ, quæ verba audiunt immediate a me, vel a prædicatoribus meis, obediunt saltem, antequam de hoc

sæculo auferantur. » Unde Glossa Interlinearis breviter ita explicat: « *Vocem meam audiunt*, id est, « obediunt præceptis. »

2. — Multæ super hæc verba fieri possunt considerationes morales, ac proinde advertendum est in primis, quod Christus non dixerit: *Voces meas*, in numero plurali, quia certissimum animæ alicujus electæ signum est si aures et cor suum primæ æterni hujus pastoris vocationi et invitationi pandat. S. Paulus, paucis horis ante, Ecclesia persecutor erat, qui tamen audire meruit: *Vos electionis est mihi*, atque ex lupo, *Benjamin lupus rapax*, in momento factus est ovis gregis Christi, idque non alio merito, quam quia protinus audita hæc voce: *Saule, Saule*, sine dilatione respondit: *Domine, quid me vis facere?* *Galat.*, 1, 16, ait: *Continuo non acquievi carni et sanguini*; ac proinde idem Apostolus in Epistola ad Titum, iii, 1, ita scribit: *Admone illos dicto obedire*; non dicit, *dictis*, in numero plurali, sed in singulari; et alibi, *II Thes.*, ii, 14, iteram Gentium Doctor ait: *Si quis non obediit verbo nostro per epistolam, hanc notate*; supremus etenim Pastor oves suas ad nutum unicam obedire desiderat; *Zach.*, x, 8: *Sibilabo eos, et congregabo eos, quia redemi eos.* « Quasi solo sibilo » opus sit, non prædicationis tuba, » inquit TiteLmannus.

3. — Notari quoque hoc loco potest quod Christus non dicat in tempore futuro, *audient, sequentur*; sed in presenti tempore, *audiunt, sequuntur*; per quod nobis insinuat, quod ascultatio vocis divinæ, cum ad coeleste ovile invitamur, nequaquam differenda aut procrastinanda sit; *Psal.* xciv, 8: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*; ubi quoque obiter notandum est quod Psalmista eodem in loco paulo ante dixerat: *Nos autem populus pascuæ ejus, et oves manus ejus*, postea vero ut modum, quo in harum ovium numerum aggregari valeamus, ostendat, ingenti cum mysterio subjungit: *Hodie si vocem Domini audieritis, etc.*

4. — S. Antonius de Padua aliam hoc loco moralitatem addit, dum ait: « Nota hic, Christus « non dicit, *audiunt fabulas*, vel verba aures demulcentia. » Et ideo S. Bonaventura quoque dicit: « *Vocem meam*, scilicet documenta mea audiendo et credendo. »

Et ego cognosco eas.

5. — S. Thomas, in *Joa.*, ait: « Id est, diligo, approbo. *II Timoth.*, ii, 19: *Novit Dominus, qui sunt ejus*. Sed si quid aliquis non potest credere, « nisi detur ei a Deo, videtur quod infidelitas non « sit alieni imputanda. » Cui objectioni Angelicus Doctor efficaci quadam ratione respondet, dum ait: « Dicendum quod ideo imputatur, quia in eis est « causa quare non datur; pro cuius majori elucidatione claram satis similitudinem adducit, dicens: « Sicut ego non possem videre Inmen, nisi illum

« nare a sole; si autem clauderem oculos, non « viderem lumen, quod non esset ex parte solis, « sed ex parte mea, qui claudendo oculos præbeo « causam ne illum; peccatum autem est causa « quare non illuminamur a Deo per fidem, puta « originale, vel in aliquibus actuale; unde omnes « illi, qui deserunt, justo Dei judicio deseruntur; « et illi, qui eliguntur, ab Dei misericordia assumuntur. »

6. — Porro quales electi sint, Christus, prout notat Toletus, ab effectibus ostendit, dum ait: *Oves meæ vocem meam audiunt*; cui insuper aliud quoque ejusdem rei signum adjungere placuit: « Ne quis enim objiceret: Forsan hi oves tuæ sunt, sed tibi ignotæ. » Addit: Non sic est: *Ego agnosco eos*; etenim quoniam prædestinati, infallibiliter agnoscit.

Et sequuntur me.

7. — Idem Cardinalis hæc verba ita exponit: « Obediens verbis et mandatis meis. » Salmeron vero interpretatur modo sequenti: « Gratiam « prævenientem et operantem amplexati ac illa « justificati sequuntur me, tanquam Pastorem « suum per viam mandatorum currentes ac per « crucem usque ad gloriam. »

8. — S. Thomas hæc sequelam de imitatione ejus interpretatur; dicit enim: « Imitatione ad « Christum et quantum ad hoc dicit: *sequuntur*. » Idem quoque Cajetanus insinuat, dum ait: « Imitando vestigia mea, id est, exempla vitæ meæ. »

9. — Hugo Cardinalis se ad illum Apostoli ad Romanos, viii, 30, textum reflectens: *Quos prædestinavit et vocavit, etc.*, quatuor illa a Redemptore hoc loco insinuata, ad quatuor que Apostolus loco præcitato specificat, reduci posse dicit, « ita ut prædestinatio referatur ad cognitionem, vocatio ad « auditum, justificatio ad sectionem et magnificentiam ad vitæ æternæ dationem. »

10. — Opponit vero Theophylactus, dum ait: « Quomodo autem dicit: *Oves meæ sequuntur et non perierunt?* videmus enim quod Judas perierit; « sed propter hoc perit, quia non secutus est, « neque ovis mansit usque ad finem; Dominus de « his, qui secuti eum loquuntur: Et oves sunt, in « quit, quia non perierunt. »

VERSUS 28.

Et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.

Et ego vitam æternam do eis.

1. — « Bona pascua vita æterna dicitur, » inquit S. Augustinus, tract. xxv in *Joa.*, « ubi totum « viret, totum viget. » Albertus Magnus aliud nobis in hac vita ovium suarum pascuæ genus ostendit, dum ait: « Per carnis meæ pastum et sanguinis

« potum et spiritus mei vivificationem et deitatis « meæ gratificationem; » adducit illum S. Joannis, x, 10, textum: *Ego veni ut vitam habeam et abundantius habeam*; nec non loquit illum, *Joa.*, vi, 38: *Qui manducavit me, vivet propter me.*

2. — Toletus solius potentæ Dei proprium esse dicit, vitam dare posse æternam, utpote quæ infinitum quoddam præmium est electis suis destinatum: « Quod si hoc non allicet, terreat quod sequitur: « Si oves non sunt, in æternum peribunt; « nemo dicat: Ovis non sum, solum mihi æterna « vita negabitur, tamen nullum inde mihi malum « impendet; decipietur, in æternum peribit. » Pro adultis non superest locus medius, sed illis vel paradisi vel inferni assignabitur. « Ea est causa, « cur, cum Dominus dixerit: *Vitam æternam do eis*, addidit: *Et non peribunt in æternum*, ut « significaret oves liberari ab æterna morte et « vitam æternam habere. »

3. — Salmeron hoc loco observat quod Salvator in presenti tempore dicit: *Do*, non vero dicit: « *Dabo*; id est, dabo post sequelam completam, vel « etiam de presenti, do, non solum dando eis gratiam, quæ est vita æterna inchoata, de qua Paulus: *Gratia Dei*, inquit, *vita æterna*, sed etiam « per illam bonorum operum merita producentem, « *do vitam æternam*, in jure ad eam, et in spe certa « illius consequendæ. » Cajetanus super verbum *do*, ita scribit: « Non dixit, *dabo*, sed *do*, ut intellegamus quod de dono in presenti vita loquitur: « *Habet vitam æternam* in semine presentis gratiæ, « in pignote charitatis. »

Et non peribunt in æternum.

4. — Frequens nos experientia hactenus docuit, quod multi de electorum numero in hac presenti vita in mortem culpæ mortalis misere et infeliciter inciderint, quamvis alia ex parte certum sit, quod iidem in illa morte non perseverarint, sed tandem resurrexerint ad penitentiam. « Licet ad tempus, » inquit Dionysius Carthusianus, « variis persecutionibus, tentationibus atque molestiis fatigantur, « quænammodum scriptum est: *Omnes qui pie « volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*; « his enim omnia cooperantur in bonum et omnia « quæcumque faciunt, prosperant finaliter, ergo « salvantur et tanto pleniori beatitudine perfurunt, « duntaxat et felicius requiescent in patria, quanto « nunc amplius vilipenduntur, tentantur ac tribulantur. » Albertus Magnus similiter ait: « Ad « tempus videntur perire, non tamen peribunt in « æternum; » adducit textum illum, *Sap.*, iii, 2, in quo legitur: *Visi sunt oculis insipientium mori, et æstivata est afflictio exitus illorum, et ab itinere justo abierunt in exterminium, illi autem sunt in pace*. Qui enim et prædestinati sunt ad gloriam,

tametsi ad tempus prævaricatores, divinæque legis transgressores existant, altamen non *percutit in æternum*, sed tamen respiciunt et emendantur. S. Augustinus, *l. de bono persev.*, c. xiv, prædestinationem hoc modo definit: « Prædestinatio est præsentia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quoniamque liberantur. » Porro prædestinatos in salvo esse indubitatum est apud Deum, estque hæc infallibilitas in divina præsentia, de qua Psalmista dicit: *Alta a longe cognoscit*; et Apostolus ait: *Cognovit Dominus qui sunt ejus*.

Et non rapiet eos quisquam de manu mea.

5. — Dionysius Carthusianus illum Apostoli locum ad Romanos, viii, 33, 34, allegat, ubi dicitur: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat, quis est condemnent? Christus Jesus ad dexteram Dei interpellat pro nobis*; quasi dicat: tametsi electi nonnunquam cadant, Pastor tamen æternus, qui protectionis suæ oculos super oves suas directos habet, pro ipsorum emendatione intercedit; *Rom.*, viii, 35, 37: *Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos*. « Prædestinatio, » inquit Dionysius Carthusianus, « æquidem includit omnia, quæ electis necessaria sunt ad salutem, imò comprehendit auxilia, quibus indigni prædestinati ad hoc, quod non vincantur, neque a Christo finaliter separantur. » Lucas Bragensis verbum illud, *quisquam*, ponderans dicit: « Non fur, non Satan, non mundus, non caro, non demones, non homines, non hostis, sit visibilis, sit invisibilis, non adversa, non prospera, non mina. »

6. — Albertus Magnus super hoc, *non rapiet*, ita scribit: « Id est, per aliquem violentum impulsu tentationis, quia non permittam quod ultra vires a maligno aliquid patiantur; *I Cor.*, x, 13: *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proveantur*. » Dictio illa *de manu*, protectionem indicat et tutelam, qua Deus electos suos specialiter tuetur et custodit: « Manus dicitur, quod sit totius corporis munus, » inquit Isidorus, *lib. I Euth.*, ipsa enim « cibum ori ministrat, ipsa operatur omnia, alique dispensat, per eam accipimus et damus. *Iusto enim animæ in manu Dei sunt*. » Omnes electorum gressus provido et benigno oculo a Deo considerantur, *Psal.* xxxvi, 23, 24, 26: *Apud Dominum gressus ejus diriguntur et viam ejus volet, cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam; junior fuit, etenim senex, non vidi justum derelictum*; tametsi enim nonnunquam per prærupta et in via deviare videantur, oculum tamen suum in viam rectam directum semper habent, maleque con-

scientiæ suæ remorsum et synderesin interius sentiunt, ac Dei timorem filialem ac reverentiam nunquam totaliter amittunt; unde tametsi Petrus Magistrum suum negaret et cum perjurio se illum minime nosse diceret, nulla tamen ei fides adhibebatur, *Matth.*, xvi, 37: *Loquela tua manifestum te facit, et tu de illis es*.

7. — Cajetanus Christum hoc loco manifeste de prædestinatis agere probat: « Manifeste apparet, quod de omnibus prædestinatis loquitur; de iis enim solis verum est, quod ultra gratiam, charitatem et virtutes in anima, tot, tanta, et talia adhibentur a Deo gratuita auxilia, ut in æternum non pereant, ut non rapiat eos violentia ejus, » cumque sævitie. »

8. — Theophylactus hoc loco querit quomodo illud Salvatoris dictum: *Nec rapiet illos quisquam de manu mea*, verificetur, cum tamen tot electi turpiter cadere videantur? Et respondet: « Dicendum, quod rapere quidem nullus potest de manu Patris, decipere autem nulli; nam vi quadam et tyrannide nullus potest avellere a Deo, deceptio autem quotidie supplantatur. »

9. — S. Bonaventura præeunte S. Augustine scribit, neminem hæc animas de manu Dei rapere posse finaliter: « Nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit, scilicet finaliter. » Quod si forte contingat, inquit idem Sanctus, quod presentaneæ aliquis electorum a Deo abripiatur, atque a bona semita deviet, « id non est impotentia Dei custodientis, sed ex labilitate et infirmitate liberi arbitrii deficientis. »

10. — Unde reprobis nullam de providentia et bonitate hujus Pastoris lamentandi occasionem habet, quia, *Ose.*, xiii, 9: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*; ex quibus verbis deducitur, quod Deus ne vel minimam imo hominis reprobatione culpam habeat, imo potius, quod ab eo solo auxilia procedant, quæ ad salutem ei ministrantur, ab illo autem rejiciuntur. Axioma est S. Augustini: « Nemo creatus est, ut periret; » quod cum illo Apostoli, *I Tim.*, ii, 4, oraculo concordat: *Deus vult omnes salvos fieri*. Idem quoque S. Doctor de Deo dicit: « Potest aliquis sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest aliquis sine malis meritis damnare, quia justus est. » Accedit, quod maxima ipsis quoque reprobis subministrat auxilia; siquidem qui oculum suum in Judam v. g. conjecerit, ipsum abundantissima pro salute obtinenda subsidia accepisse facile deprehendit, adeo ut Deus uniceique animæ damnata in faciem exprobrare jure possit, dicendo: *Quid ultra potui facere et non feci?* Porro Deum salutem nostram et electionem ad gloriam, maxime si de adultis sermo sit, non solum in gratis, donis et pietate sua repositam esse voluit, verum etiam in cooperatione et voluntate nostra. S. Hieronymus,

postquam verborum sua culpa damnari ostendisset, super illa verba S. Pauli: *Vasa iræ et vasa misericordiæ*, scribens dicit: « Hæc vasa misericordiæ non solum populus gentium est, sed etiam ii, qui ex Judeis venerunt; ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates. » S. Ambrosius quoque ait: « Vult Deus omnes salvos fieri, sed si accedat ad eum; non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si et ipsi velint. » Si enim ipsi voluerint et gratia, quam Deus pro ipsorum salute eis offert, revera cooperati fuerint, copiosus cæli thesaurus super se descendere videbunt, unde quilibet Christianus punctum istud infallibile et indubitatum esse firmiter credat, reprobationem et damnationem animæ suæ non fieri de facto, nec fieri posse, nec unquam futuram esse sine consensu suo, id est, sine culpa sua, nec ullam culpam mortalem dari posse sine voluntatis nostræ consensu, adeoque effectus et executio prædestinationis ipso facto dependet a nobis, licet a Deo ab æterno irrevocabiliter decreta fuerit.

11. — Quæsi quaeras, qua ratione libertatis arbitrii nostri cum hæc prædestinationis infallibilitate salvari possit? Respondeo, quod hæc certitudo divini decreti in divina nummis præsentia fundetur, qua prævidet quod libere quidem, sed tamen infallibiliter electus cooperaturus sit gratiæ ipsius, ideoque sit salvandus. Origenis sententia est dicentis: « Non ideo aliquid erit, quia Deus scit, sed quia futurum est, a Deo scilicet antequam fiat. » Ita namque erit, ut Deus decrevit, hoc autem decretum non excludit, imo potius requirit nostram in operando libertatem, infallibilitas autem ejus in præsentia fundatur, quam ab æterno habuit et in voluntate nostra, qua vel cælum, vel infernum volumus; *Ecd.*, xv, 18: *Ad quod volueris, porrigere manum. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi*. S. Prosper de differentia disserens, quæ circa certitudinem vel perplexitatem nostræ prædestinationis Deum inter et nos intercedit, ita scribit: « Prædestinatio Dei etsi apud nos, dum in præsentis vite periculo versamur, incerta est, quod illum tamen qui fecit quæ ventura sunt, incommutabilis perseverat. » In Apocalypsi quoque, ii, 11, dicitur: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam, potestne igitur, dicat forte aliquis, anima aliqua ad gloriam electa et prædestinata labi?* Ita est, neque enim hoc impossibile est, licet nunquam futurum sit, Deus enim ita prævidit, quod scilicet anima illa finaliter in gratia et amicitia sua perseveratura sit. Vasquez hunc Apocalypseos textum examinans ita scribit: « Si electio ad gloriam facta esset ante prævisa merita, frustra electo diceretur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; nam si nullus ita haberet eam in manu sua, ut posset amittere, recte responderet, depositam esse in

« manu Dei, de qua nec ullus alius rapere, nec ipse electus amittere posset. »

12. — Rogius Propheta David hanc in Psalmis propositionem statuit: *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, quasi diceret: *Prius daturus est gratiam et postea gloriam*. Etenim in actu prædestinationis quo divina voluntatis decreta considerare possumus. Primum est, quo Deus prædestinato in hac vita gratiam conferre determinavit. Secundum vero est, quo Deus eidem in altera vita gloriam dare decrevit. Primum decretum dicitur electionis ad gratiam; secundum vero electionis ad gloriam; in ambobus vero actus prædestinationis consistit, quia in primo datur gratia, ut medium ad gloriam; in alio vero datur gloria, ut finis. S. Augustinus prædestinationem ita definit: « Prædestinatio est gratiæ preparatio, gratia vero ipsa donatio. » Gratia enim donum est et non supponit meritum, tametsi verum sit quod, per nostram cooperationem, ad illius nos augmentum disponamus. Circa hæc autem decreta controversia est, utrum ex illis duobus alterum præcedat, an scilicet prius Deus eligat ad gloriam et secundario ad gratiam; aut vero prius sequatur electio ad gratiam et postea ad gloriam, licet enim illud prius et posterius in Deo quidem non datur, scholæ tamen hoc terminis assignant, ut materiam hanc capacitati nostræ melius adaptent, et quidem pro utraque parte probabiles sunt opiniones, de quibus Theologi fusius agere solent. Nobis hoc loco sufficit quod gratia fundamentum sit electionis nostræ ad gloriam, quodque hæc nulli animæ sine nostra culpa negetur, nullus enim se excusare poterit, dicendo, se auxiliis ad salutem necessariis fuisse destitutum. Porro priusquam Salvator noster dixisset, *Joan.*, x, 28: *Vitam æternam do eis, non peribunt in æternum*, de electis prius dixit, x, 27: *Oves meæ vocem meam audiant et sequuntur me*, adeoque ante executionem decreti ad gloriam, vult ut opera nostra bona præcedant; *Psal.* lxi, 12, 13: *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas tibi est, et tibi, Domine, misericordia, et tu reddes unicuique juxta opera sua*. Nimvero probabilius esse videtur opinio, quod prædestinatio fiat ex prævisis meritis. Nam S. Ambrosius ait: « Non ante prædestinavit, quam præsciret, sed quæ merita prævisit, eorum merita prædestinavit. »

13. — Celebris est textus ille S. Petri, *II Epis.*, i, 10: *Quapropter satagate, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*; ideoque si dixeris te esse prædestinatum, adeoque sine bonis operibus salvandum, S. Petrus sequenti monito te condemnabit, atque ab hoc te errore eximet; subdit enim: *Sic enim abundanter ministrabit vobis introitus in æternum regnum Domini nostri. Sic, inquit, id est, per bona opera*. Porro communis perversorum hominum error est, quo dicere non

verentur : Si sum prædestinatus, salvabor utique, etiam nihil boni operans; si vero præscitus sim, quicquid mihi egero, nihilominus damnabor; sed is respondendum est, quod quando Deus animam aliquam elegit ad gloriam, vult ut illam per operum honorum merita sibi comparet, gratiæ ipsius cooperando, et non aliter; et ideo si hoc facere negligat, iudicium est evidens animam illam præscitam esse. S. Gregorius de Valentia hoc modo respondet : Quod si de electorum numero fueris, christiane tibi vivendum erit, cum hac enim conditione, ut id facias, ad gloriam te elegit; si autem hoc non facias, iudicium est manifestum, quod non sis præscitus : *Satagite, ut per bona opera certam vestram electionem faciatis*, ubi Glossa ait : « Certam » facit vocationem suam, qui in bonis operibus per « severat. » Quod si destinatus es ad ignem inferni, blasphemia erit dicere quod Deus illius causa existat; siquidem alia illius causa assignari nequit, quam peccatum tuum, quod Deus abhorret, tu autem ultro amplecteris; Deus ad abolendum peccatum, Filium suum in terras misit, ut vitam suam pro tua salute prodigeret; *Ezech., xxx, 11 : Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat.* Blasphemia quoque erit dicere, quicquid boni fecero, damnabor nihilominus, si fuero præscitus, siquidem catholica est veritas, *Psal. lxi, 13 : Tu reddes unicuique iuxta opera sua*; ac proinde Apostolus, *II Tim., iv, 7*, dicebat : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus iudex.* Deus enim non est injustus, non confert gloriam, nec animas ab eadem pro libitu suo reprobat : *Reddet unicuique iuxta opera sua.* Ecclesia in quadam Collecta ita orat : « Omnium miseris, » quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis; » unde clare deducitur, illos, qui sancte operantur, misericordiarum suarum futuros esse participes, nec ulla ratione ab hisdem repudiandos.

14. — Isaias, vii, 15, novæ legis Evangelicæ eventus prædicens, de Salvatore nostro ita loquitur : *Vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Reprobi non propter opera bona damnabuntur, sed propter ipsorum iniquitates et scelera. S. Augustinus, *Epis. cv*, ait : « Querimus causam prædestinationis, nec invenimus; reprobationis autem causam querimus et invenimus. » Nulla autem alia assignari potest prædestinationis causa quam misericordia Dei, cui nos gratis suis locupletare complacuit, quas non meruimus, sed prædestinationis causam quamquam esse existimas? « Quibus » Deus misericordiam suam non impertit, ut non « impietiarum merentur, » divinis namque vocibus aures suas obturant, clauduntque oculos suos luci, quæ illuminat omnem hominem. Idem quoque S. Doctor alibi ostendit, quod reprobi nullam habeant de

Deo conquerendi causam, cum tamen Deus de illis iustissime conqueri possit : « Iuste de reprobis » conqueritur, tanquam de his, quos peccare non « cogit. » S. Prosper hujus ejusdem propositionis reprobatorum falsitatem ostendit, dum ait, Deum illos ab æterno non pro suo mero libitu e Paradiso cœlesti exclusisse, sed quia abinde ipsorum prævidit obstinationem et malitiam, adeo ut blasphemiam sit, si præscitus dicat, tametsi quantum valeo et possum bonum operatus fuero, equidem damnabor, quia Deus illos propter mala ipsorum opera reprobovit : « Gratia Dei non prius eos deseruit, » quam ab eis desereretur, et quia hoc ipsi voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit. »

VERSUS 29.

Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est et nemo potest rapere de manu Patris mei.

Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est.

1. — Toletus Christum hoc loco ut hominem loqui dicit, adeo ut hisce verbis dicere velit, Patrem ejus illi dedisse quantum potuit : « Quia divinitatem illius humanitati conjunxit et fecit ut « homo ille Deus esset. » Interlinearis ita explicat : « *Dedit mihi*, id est, esse unigenitum Filium coæqualem, cœternum. » Janssonius alias expositionis assert, dum ait : « Sive quia Filio charius sit quam universa creatura. » Ita Titelmannus, ad denotandum quod nonquam permissurus sit electos perire, utpote quos omnibus aliis rebus creatis præponit : « Sive quia grex Christi, etsi ex sese « pusillus et infirmus, et tamen Christi et Patris « virtute omnibus suis adversariis superior sit. » Aut vero omnipotentiam suam a Patre acceptam indicare voluit, utpote cum quo ejusdem est consors essentialis : *Ego et Pater unum sumus.* Dionysius Carthusianus ita explicat illud : *Quod dedit mihi* : « Pater enim totam divinitatis plenitudinem transfundit in Filium; » unde veritatem indicare voluit ejus quod dixerat, nimirum : *Non rapiet eis quisquam de manu mea.*

Eti nemo potest rapere de manu Patris mei.

2. — S. Augustinus, *tract. xlviii*, ait : « Manum » Patris et Filii, intelligimus potestatem Patris et « Filii; ergo nemo rapit de manu Patris mei, hoc est, nemo rapit mihi; sed ne forte adhuc titubet, » audi quid sequitur : *Ego et Pater unum sumus.* S. Cyrillus ait : « *Nemo e manu Patris mei*, hoc est, mea, seipsum quippe dicit omnipotentiam Patris « dexteram, tanquam Patre per eum omnia operante. » A potentia autem Patris electis gregis sui arguit securitatem.

VERSUS 30.

Ego et Pater unum sumus.

1. — « Divinam ejus et ineffabilem cogitamus » naturam, » inquit S. Cyrillus, « secundum quam unum est cum suo Patre propter substantiæ identitatem, imago quoque, et character, et splendor gloriæ ejus. » Ven. Beda hanc identitatem quoque his verbis specificat, dum ait : « Una nobis « substantia, una est divinitas, una æternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla. »

2. — Considerabilis est illa Rupertus Abbatis, *lib. X in Joan.*, expositio, dicentis : « Per hoc quod » ait, *unum*, substantiæ unitatem per id quod dixit, « *sumus*, personarum expressit pluralitatem. » Lyranus quoque per hæc verba duos errores quoad articulum sanctissimæ Trinitatis emergentes, exclusos esse notat, Sabellius tam personarum quam essentialitatem in Deo posuit : « Hoc removerit » cum dixit : *Ego et Pater unum sumus*; si enim « Pater et Filius essent una persona, dixisset, *sum* » in singulari. » Arius tam essentialitatem quam personarum diversitatem in Deo admisit; hic autem error per verbum *unum*, excluditur. « Si enim » Pater et Filius haberent diversas essentias, non « diceret *unum* naturaliter, sed *plura*. » Lucas Brugensis S. Augustinum adducit, sub finem orationis, *de quinque hæresibus*, ita scribentem : « Perant » vaniloqui et mentis seductores Arianus et Sabellianus; quod dico, *unum*, audiat Arianus; quod dico, *sumus*, audiat Sabellianus; non dividat « Arianus, *unum*; non deleat Sabellianus, *sumus*. »

VERSUS 31.

Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum.

1. — Cajetanus, *in Joan.*, ait : « Lapidare vole- » bant sine processu, sine judice, acti furore. » S. Thomas ipsos Judæos ex malitia et obstinatione sua motos, lapides corripisse notat; dicit enim : « Quia duri erant et profunda Domini verba intel- » ligere non poterant, lapidibus similes ad lapides « currunt. »

2. — « Ecce usque ad tollendos lapides, » inquit Rupertus Abbas Tutiensis, « potuerunt currere et » lapidei sui cordis durtitiam manibus armatis pro- » dere; » verumtamen per hoc indicantur, inquit idem venerabilis Abbas, Christum esse illum, de quo Job valentinus fuerat, *xxxviii, 10*, dum ait : *Circumdedit mare terminis meis, et posui vectem, et ostia, et dixi : Huc usque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos;* nam ut S. Cyrillus ait : « Immobiles steterunt vi et efflu- » cacia Christi, ex quo liquido constat eum nisi « volentem nunquam passurum fuisse. »

3. — « Igniti, ac furore perciti, » inquit Lucas Brugensis, « levarerunt e terra lapides, forte ex

« fundamento porticus sive atrii extractos, additur » « Græce et Syriace. Item, id quod refertur ad simi- » lem eorum conatum supra, *cap. viii, vers. 59.* » **4.** — In sensu morali Salmeron, *tract. xliii*, ait : « Accipimus lapides in Christum, quando duro et » « lapideo corde excipimus ejus verbum, aut inspi- » rationes, et cum vitis nostris contrarias virtutes » « percitimus. »

VERSUS 32.

Respondit eis Jesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod coram opus me lapidatis?

Respondit eis Jesus.

1. — Cajetanus in manu Christi fuisse dicit, iram inimicorum suorum reprimere, jam enim hi Judæi lapides in manibus suis habebant : « Nihil deerat » « nisi actus lapidantis, quia tamen lapidari volebat, » « cohæret eos divinitatis suæ virtute. » Lucas Brugensis quoque hanc repressionem his verbis expressit : « *Janjam ferientia brachia sub nutu cohæruit* » « et furore velut æstro agitato repressit, ut vellent » « nollent, audiret alloquentem. Allocutus est au- » « tem eos blande, ut animos furore turbatos sedat » « ret, propositis suis in eos beneficiis. » Toletus considerat quod Sapientia incarnata beneficia ipsis exhibita admirabilis prorsus artificio eidem proposuerit : « Perpende, » inquit, « mirum Salvatoris » « artificium, iratus enim homo non considerat que » « bona accipit, sed quod malum ei illatum est; » « idcirco contra conferentem, quantumvis benefice- » « torem, invehitur; ire ergo medicamentum est. » Irato autem oculos bona accipere proponere. » Dionysius Carthusianus ait : « Ipsorum insaniam blande » « refrenans et differens. »

Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo.

2. — « Ait a Patre et non a seipso opera, » inquit S. Cyrillus, « modestia nimirum utens ad nostram » « utilitatem, ne cum aliquid a Deo accipimus, arro- » « gantes simus. »

3. — « Commemorat eis exhibita beneficia, » inquit S. Thomas, « in sanitatibus infirmorum, in » « exhibitione doctrinæ et miraculorum, » Hugo Cardinalis vocem *bona* perpendens ait : « *Bona* » « dicit, quia omnia ejus miracula cedebant ad uti- » « litatem. *Ex Patre meo*, dicit, ut mitiget eorum » « furorem, qui blasphemum dicebant. »

4. — Salmeron Salvatorem Judæis hisce verbis crudelitatem et injustitiam suam exprorare voluisse dicit, eo quod illis, qui damnum republicæ inferunt, neutiquam sit parcendum : « Ego tantum » « beneficiorum contuli in vos ex benignitate Patris » « mei; quamquam autem sancti nunquam javent » « opera sua bona, nonnunquam tamen illa reple- » « cant ad memoriam, vel ut Deo gratias agant, vel

« ut liberentur a desperatione, vel ad alios aedificandos, vel denique ad aliorum reprehensionem. »

Propter quod eorum opus me lapidatis?

5. — « Quasi dicat, » inquit S. Thomas, « bene- factorem oportebat honorare, non lapidare. » Cajetanus observat quod Salvator dixerit : *Me lapidatis*; non dicit : *Vultis me lapidare*, « ut intel- ligamus, quod erant in procinctu lapidandi. » S. Bonaventura ait : « Quasi dicat : Injuste retribuitis, quia mala pro bonis, quod est injustum et prohi- bitum. » Nimirum ingratitudinem ipsorum eis hinc verbis exprobrat; pro pane etenim, quem ipsis in deserto multiplicaverat, nec non patris in ipsorum commodum miraculis, saxa retribuebant.

VERSUS 33.

Respondentur ei Judæi : De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.

Respondentur ei Judæi.

1. — « Lapidibus habentes in manibus » inquit Dionysius Carthusianus, « et brachia ad projiciendum in Jesum jam extensa, » tametsi enim ab invisibili Christi potentia repressi fuerint, ne lapides in eum projicerent, enormes tamen in eum conjiciebant injurias, dum ipsum blasphemum appellabant.

De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia.

2. — In hoc falsum dixerunt, ut notat Albertus Magnus : « Quia nihil nisi bonum opus apparuit in eo. I Pet., II, 22 : *Qui non fecit peccatum, nec inventus est dolus in ore ejus.* » Dionysius Carthusianus considerat, concessisse quidem eos, quod Christus bona opera fecerit, ipsum tamen postea blasphematorem factum esse dicunt : « Quæ simul nequeunt stare; si enim fuisset blasphemus, Deus ejus doctrinam et conversationem non approbasset aut confirmasset miraculis. » Blasphemum ipsum appellaverunt : « Cum ipsi potius blasphemum sint, » inquit Albertus Magnus, « attribuentes diabolo quod fieri non potuit, nisi in digito Dei; » præterquam quod id, quod Christum circa divinitatem suam dixerat. « Fuit actus virtutis, » inquit Dionysius Carthusianus, « et protestatio veritatis. »

3. — Lucas Brugensis indiscretum illorum zelum reprehendit, dum ait : « Causantur se moveri zelo honoris Dei, sed zelo ardent non cum scientia conjuncto, sed cum livore et obstinate incredulo odio. » Salmeron similiter ait : « Christum persequebantur, sed quia illa non poterant calumniari, fingunt blasphemiam, quemadmodum Judices invidium suum et malignum animum justitiæ colore tegunt. »

Et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.

4. — Lucas Brugensis illos in falso quodam principio errasse dicit, nimirum, quod idem Deus simul et homo esse nequeat; ac proinde Toletus cæcitate et ignorantiam ipsorum deplorat, dicens : « Hominem esse impedimento, quo minus Deus esset, reputabant, quasi utrumque simul esse non potest, nempe Deus et homo; » adducitque S. Athanasii auctoritatem, hunc locum ita interpretantis : « Obmurmurabant Judæi, cur homo cum sis, facis teipsum Deum? Stulti et animo obcecati, quippe oporteret eos invertere sermo- nem in hunc modum : Tu cum esses Deus, homo factus es; nam et ipse Deum esse declarabant. »

VERSUS 34.

Respondit eis Jesus : Nonne scriptum est in lege vestra : Quia ego dixi, Dii estis?

1. — Toletus Christum hic tanquam Deum locutum esse considerat : « Attende Christum loqui et Deum, et Dominum legis, ipsiusque datorem; » propterea enim dicit : *In lege vestra scriptum est*, « id est, in lege vobis, tanquam servis imposita, » non mihi, qui Filius sum et Dominus. » Cajetanus Christum omnes libros canonicos legem ipsorum appellare dicit : cæterum verba ex lege adducta, verba sunt Psalmistæ, qui hominibus Dei nomen attribuit : Vere enim aliqui homines possunt « Dii nominari, non natura, sed participatione divine potestatis, visionis, seu gratiæ; » cæterum argumentum, quod contra ipsos facit, Scripturam interpretando seu declarando instituit : « Explanat enim dicendo, ad quos sermo Dei factus est, declarando quod ratione divini sermonis facti ad homines, homines nominati sunt Dii, quod est ratione divine notitiæ participatæ, audiendo Deum homini loquentem, communicari homini divinum nomen. »

VERSUS 35.

Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura.

VERSUS 36.

Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis quia blasphematis, quia dixit Filius Dei sum.

1. — S. Cyrillus hoc argumentum a Christo propositum considerans dicit : « Si enim quoniam dixi meipsum Deum videor blasphemare, cur cum Pater dixerit per legem ad homines, Dii estis, non blasphemiam esse judicatis. » Vener. Beda argumentum istud in Christi persona hoc

modo efformat : « Sermo Dei factus est ad homines, ut dicerentur Dii, ipsum Verbum Dei, quod est apud Deum; si ergo homines participando fiant Dii, unde participans non est Deus. »

2. — Hugo Cardinalis hanc inductionem facit : « Si illi, qui per gratiam hoc acceperunt, non incensantur Deos se vocantes, qui a natura hoc habent, qualiter dignus est increpari? sed ita expresse quidem non dixit; » se enim directe Deum esse dicere noluit, sed hac usus est phrasi : *Quem Deus sanctificavit*, etc., idque ut rabiem illorum non nihil mitigaret : « In hæc mitigans furorem illorum, ut susciperetur sermo ab eis, humilior locutus est. »

3. — Lucas Brugensis argumentum Christi quid amplius intulisse dicit, scilicet quod ipse Christus multo magis sit Deus quam illi, qui per Scripturam Dii appellantur; Filium Dei se præcipue duas ob causas appellare noluit. « Una est, quia non dixerat verbis se Deum esse, sed Deum esse Patrem summum, sive se et Deum Patrem unum esse; » altera, ut serviret infirmitati auditorum, eorumque declinaret invidiam, quia facilius fere poterat, quod se Filium Dei esse diceret, imaginari minus aliquid esse, quam si dixisset se Deum esse. »

VERSUS 37.

Si non facio opera Patris mei nolite credere mihi.

1. — « Concessio est confidentis causæ suæ, » nihilque dubitantis, quin credituri sint; si oculos ad opera velint deflectere. » Sic etiam, Joan., xv, 24, ipsos inexcusabiles penitus esse protestatus, propter opera plane prodigiosa, que inter ipsos patrarat : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

2. — S. Bonaventura hoc loco quærit quænam illa opera fuerint, ex quibus se Filium Dei esse manifeste cognosci poterat : « Quia si loquebantur de operibus spiritualibus, illa erant insensibilia oculis corporeis; si de sensibilibus, consimilia fecerunt Prophete et Apostoli, qui tamen non erant filii Dei per naturam, » adducitque textum illum Joan., xiv, 12, ubi Christus promittit : *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet.* Respondet autem S. Doctor : « Faciebat opera sua propria virtute et sine invocatione alterius cooperantis, vel adjuvantis. Sancti fecerunt opera miraculosa virtute Filii Dei et invocatione sui nominis. »

3. — Dionysius Carthusianus aliquas miraculorum Dei proprietates notat, dicens : « Fiebant

« propria potestate, solo imperio, in instanti sæpe et discipulis tradidit potestatem faciendi miracula et etiam majora quam ipse fecit; hoc nec humana, nec angelicæ est potestatis. »

VERSUS 38.

Si autem facio; et si mihi non vultis credere, operibus credite; ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.

1. — S. Thomas, in Joan., ait : « Nullum tam evidens judicium de natura alicujus rei esse potest quam illud, quod accipitur ex operibus ejus; evidenter ergo cognosci potest de Christo et credi quod sit Deus, per hoc quod facit opera Dei. »

2. — Cajetanus Christum in operibus æterni Patris sui quæ faciebat, duo præcipue intendisse dicit, scilicet ut fides adhiberetur doctrinæ quam predicabat et ut miracula, omniæque alia opera ejus que faciebat, haberentur in pretio : « Nam ex hujusmodi operibus et debebant credere vera esse verba que dicebat, quoniam Deus non est testis mendaciorum; miracula autem ejus fiebant, ad testificandum verbum ejus, et debebant credere factis, quæ monstrabant divinitatem faciendis. »

3. — S. Augustinus, tract. xiv in Joan., sensum illorum verborum : *Pater in me est et ego in Patre*, hoc modo declarat : « Non sic, dicit Filius, in me est Pater et ego in illo, quomodo possunt homines dicere; si enim bene cogitemus, in Deo sumus et si bene vivamus, Deus in nobis est; fideles participant ejus gratiam illuminati ab ipso in illo sumus et ipse in nobis; sed non sic unigenitus Filius, ille in Patre et Pater in illo, tanquam æqualis in eo, cui est æqualis, denique et non aliquid possumus dicere : In Deo sumus et Deus in nobis. »

4. — Lucas Brugensis Rupertum Abbatem citat, verba illa hoc modo interpretantem : « Excepto quod ille proprie Pater et non Filius est, et ego proprie sum Filius et non Pater; quicquid est ille, hoc ego sum naturaliter, scilicet Deus, Dominus, omnipotens, etc., quicquid in natura Patris, hoc lotum in Filio est; et e converso quicquid in natura Filii, hoc totum in Patre est; hoc in nullis creaturis inveniri potest, ut plures sunt in se mutuo, adesse sibi mutuo possunt; sed inesse in se mutuo non possunt, quia non est plurius una eademque numero natura. »